



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Iacobi Bidermani E Soc. Iesv Ignativs Sive De Vita Et
Gloria S. Ignatii Loiolæ Soc. Iesv Conditoris Libri Tres**

Bidermann, Jakob

Antuerpiae, 1635

Vaticinationes. Cap. VIII.

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10788217-5

Idque ab ipso Ioanne persæpè
audisse se, filius eiusque nurus iu-
reiurando firmarunt.

IGNATIÏ *vaticinationes.*

CAP. VIII,

43. **I**NSUPER vaticinatione cla-
rus, præsensit prædixitque
multis res multas lōgè antè quàm
fierent. Iturum fortè Ierosoly-
mam, adolescēs annos natus octo-
decim Ioannes hic Pasqualis co-
mitabatur. Quem ille reuerti ius-
sum, admonuit, matri potiùs vt in-
seruiret; tum fore, vt vxore ductâ,
liberos procrearet, multisque ea-
propter laboribus exerceretur. Me-
minisset solùm, forti animo con-
stantique omnia perferret. Addi-
dit deinde alia, quæ omnia haud
aliter quàm ostenderat, euenere.

44. In Belgas aliquando è Gal-
lijs transierat, stipem ibi ab Hispa-
nis gentilibus coactum, quâ cœpta
litterarum studia persequeretur.
Accidit, vt Antuerpiæ tunc inuita-
tus,

tus, cum apud institorem pranderet, conspiceret è familiã quemdam, defixisq̃ue in eum oculis, aliquamdiu hæreret. Is autem iuuenis tum erat, & Petrus Quadratus Medina vocabatur. Hunc iussit iuuenem propiùs ad se accedere, docuitq̃ue, magna olim ab eo beneficia in Societatem manatura: idcirco ineundam sibi tantò antè cum eo necessitudinem. Sciret quippe ille, haud nihil DEO se debere, vt quem condendo iam olim Societatis Collegio designasset. At nondum certè coalita tunc Societas erat: nec tamen fefellit. Nam longè post ipse, eiusq̃; vxor Francisca Magna, Societati Collegium Medinæ Campi fundarunt.

45. Quo tempore abisse eum Vicentiã diximus, vt Simonem Rodericum in morbo fluctuantem inuiseret; secessit in partes aliquamdiu, comite propter viam relicto. Atque ibi diuinitus de Simonis valetudine edoctus, Fabro comiti suo, Aeger iam, inquit, non
 morie-

moriatur. Inde in oppidum ingressus, agrum amplectitur, interque eos complexus, bonam habere mentem iubet. Nam ex hac, inquit, ægritudine tu quidem non moriere. Et cum dicto conualuit repente Simon. Quod hic alijs est ipse factus; & ex Fabro postea Laines accepit; qui rem denique omnem, uti gesta est, alijs aperuit.

46. Eo ipso in loco fortè Sociorum vnus de mutando vitæ genere secum deliberabat; anceps, vtrum duorum præstaret; apud anachoriten, qui in suburbano tum incolebat, degere; an cum IGNATIO, plurium saluti consulere. Et iam eius consilij capiendi, ad hominem adibat: cum ex itinere, monstris, ac nescio quibus spectrorum laruis, exterritus, ad IGNATIVUM continuo recurrit. Qui arcano Socij diuinitus perspecto, subintranti, *Modice*, inquit, *fidei, quare dubitasti?* Atque ijs illi verbis, omnis continuo fuit dubitatio exempta. Nam propositum deinde tenuit,

tenuit, atque ad extremum spiritum cum IGNATIO perseueravit.

47. Romæ Stephanus etiam Baroellus, homo Italus, & recens in Societatem adscitus, vitæ iam suæ desperabat; ob pertinaciam infesti morbi, Medicis adeò ipsis conclamantibus. Abit IGNATIVS, & pro eo litare, ad S. Petri, in Ianiculo, festinat. Comitabatur illum Ribadencira, vt sæpè, & facienti ministrabat. Omnibus peractis, gratijsque pro more habitis, ille Ribadenciræ, *Stephanus*, inquit, *noster in præsentia non occumbet*. Vidimus inde confestim ægro melius esse; eumque dein integrè conualescere, pòst in terram Lusitaniam, pòst in Italiam redire; multosque annos in Societate superstitem piè sancteque degere.

48. Doctor Arroura, nobilis vir, Barcinone clarus, Catholici Regis Legatus, narrando, quàm familiariter IGNATIO vsus fuerit, Ego obuiam eum, inquit, Romæ ab Arâ Cæli habebam, manu litte-

litteras gestantem, quas Franciscus ei Borgia dederat, Gandiæ tum Dux, & pro Rege Catalauniæ, perque id tempus matrimonio adhuc vinctus. Ibi in me intuens, *Quis crederet, inquit, Virum hunc principem, qui has ad me scripsit, Romam olim venturum, nostramque familiam hic ducturum?* Id quod deinde functâ coniuge factum. Quippe Societatem ingressus, longè post, Tertius ab IGNATIO Generalis renuntiatur.

49. Idem hic Michaël Arrovi-
ra iuratus pro testimonio dixit, ad-
lescentem se, ac de instituendâ vi-
tâ dubium, denique vxorem duce-
re decreuisse. Idque consilium, etsi
omnibus clam habuerit, ad IGNA-
TIVM tamen emanasse. Qui ei,
scire se iam illius arcanum, osten-
dens: Sed tu ô quomodo flebis,
inquit, quasque in miseras te mox
videbis præcipitem isse? Quæ ex
amissim, vt prædixerat, omnia
contigere. Aliàs Agnam quoque
Pasqualem è viuis exiisse, IGNA-

TIO Romæ nuntiabatur. Qui rogatus pro eâ preces vt nuncuparet, iam prius id se comperisse, quàm litteræ resignarentur, respondit. Sed AGNAM de cetero sui securam, inter Cælites iam incolere.

50. Paulus deinde Pontifex III. Collegio Patauino reditus quosdam à Cœnobio S. Magdalenzæ annuos addixerat. Eo in negotio curabat fortè Venetijs Laines: & compertis vndique difficultatibus, magnique nominis aduersarijs absterritus, dedit ad IGNATIVUM litteras, monuitque vt pro rei desperatæ successu sacrificaret; nam humanæ opis reliquum nihil videri. Gessit morem roganti Pater, ipsoque Magnæ Virginis natali fecit: & bonum animum habere iusso, rescripsit: namque id eum pro certo, quod vellet, impetrasse. Octauâ postmodum luce, cum admiratione illorum quos rei illius publicæ consuetudo non fugeret, res habuit euentum.

51. Huic

51. Huic eidem Laini prædixit, fore, vt sibi successor in summâ Societatis prouinciâ daretur. Hieronymum quoque Natalem, cum Ludouico Consalo in terram Hispaniam iturum, iusserat quàm primum conscensâ nauî soluere, habituros vtrumque expeditam navigationem. Nec aliter accidit: & hieme ipsâ feliciter traiecere.

52. Haud minor difficultas Collegium Germanicum premebat; sed idem fuit de prospero successu vates. Quippe laborabat id vltimâ penuriâ, nec allucebat vsquam vlla subsidij spes. Quare de Purpurato Senatu monuere aliqui Patrem, cœpta omitteret, nullo consilio rem tam difficilem continuaturum. Negare interim ille, atque in proposito perseuerare: quin etiam l reuî futurum dicere, vt Collegio rebus omnibus abundè prospiceretur, neque egestati porrò locus esset. Secutus est inde Gregorius XIII. qui ijs opibus locupletauit Collegium, vt nul-

lâ re hodie videatur indigere.

53. In altero item Collegio, quod Romanum appellamus, istis haud dissimilia contigere. Nam necessitatibus tenebatur, quantis vt humanitus liberaretur, fieri posse vix crederes. Sed dedit in preces se Pater, iussitque mox otiosos ab hoc metu nos esse: DEVM paucis post mensibus opportunè prouisurum. Id quod copiosè, nec aliquando sine miraculi specie, factum, donec nouissimè idem Gregorius Pontifex reditibus suis illud stabiliiuit. Talia præsensit compluria prædixitque IGNATIVS, ita vt de futuris ipse numquam falleretur.

